

DISSERTATIUNCULA

De

CRIMINIBUS

ALIIS, QUÆ PIIS CHRISTIA-

NIS OBJECTA QUONDAM NE-

FARIE SUNT A PAGANIS.

QVA

PLURIMUM VENERABILES

D^{NN.} INSPECTORES,

NEC NON ERUDITOS ALIOS,

AD

BENEVOLE AUSCULTANDUM

ORATIUNCULAS QUASDAM,

MEMORIÆ

B. MARTINI LUTHERI

SACRAS,

Observantissimè juxta & humanissimè

INVITAT

M. JOH. FRIDERICUS Höber/

Illustris Ruthenei Rector.

GERÆ,

STANNO, MÜLLERIANO.

Mans. Pöglman.

2

16th

will.
col.
su-
cul
77.
ag.
m)
p)
an.
g.in
nd.
ita
Fob.
pu-
pe-
. de
uch.
Apo-
. c.
vet.
lba-
oo)
qq)
inuc.
(tt)
ontra





Ariè exagitata à gentilibus & pessimis tradu-
ctam modis fuisse innocentem scelerisq; puram Christi-
anorum religionem ac pietatem; id verò aliàs jam di-
ctum fuit & expositum. (a) Etsi autem, quoruncunq;
postulata criminum olim nefariè sit, cum curâ differui-
mus; tamen, ut falsum est *μολύμορρον* & multiplici se-
specie prodit, nondum iis recensendis planè defunctos nos videmus. Nam
& novitatis nomine suspectam fuisse τοῖς ἔξω religionem veram, & ideò
convitiis proscissam, nondum, opinor, dictum fuit. Sanè apud Svetoni-
um (b) nostri audiunt *genus hominum superstitionis novæ*: &, ut vetus quæ-
dam Inscriptio habet Hispanica, (c) *novam generi humano superstitionem*
inencasse dicuntur. Quin & diu ante hæc tempora in Areopago nuncupata
fuit religio nostra, *διδασχὴ καινὴ, doctrina nova*; & ipse Apostolorum ul-
timus pariter ac primus, ad iudicium illud protractus, *ξενίζοντά τινα εἰς*
τὰς ἀκοὰς εἰσφέρειν, seu *nova quædam ac peregrina auribus ingerere &*
inculcare putabatur. (d) Non secus ac hodiènum novitate nescio quâ
exosa passim redditur ab Adversariis religio Lutherana, &, quasi *χθὲς καὶ*
ἔ πρότερον nata sit & exorta, per summum nefas exagitur. Verùm ut
fallantur hi miserè, cum non nova sit nostra orthodoxia, sed ad normam
Scripturæ, quæ antiquissima est, exactè reformata & suæ denuò restituta
integritati: ita nova non erat, sed vetustissima religio Christianorum,
paganis verò, quibus ignota erat illius origo, recens existimabatur. Qua
de re piissima sunt piissimi Constantini M. apud Eusebium verba, (e) di-
centis: *neq; nova ac recens est nostra religio, sed, ex quo huius mundi fabri-*
eam aptè dispositam stetisse credimus, tu (DEUS) hanc religionem cum debi-
ta tui Numinis observantia instituisti. Quare & hoc ἔγκλημα transeat
cum cæteris. Nunc autem videamus porrò, quid pessimi gentiles in opti-
mis Christianis reprehensione & odio dignum censuerint, & partim qui-
dem quâ civile & politicum, partim quâ domesticum ac privatum vivendi
genus. Quod vitam ergò civilem attinet, quâ civitatis certæ membra &
magistratui subdita gens fuerunt; tria cum maximè nostris crimina ob-
j. cta

Handwritten signature or mark.

jecta fuisse legimus, quamquam injustè & citra ipsorum culpam; de quibus antè, quam ad alia progrediamur, dicere nunc rerum series requirit. Est ingens crimen, quod læsæ majestatis vocant, capitale in primis ac pian- dum cæde: cujus gratiâ, & jure quidem gentium, totas interdum familias supplicio affectas, historiarum memoriæ loquuntur. Neq; verò inauditum est, non dicta dumtaxat & voces liberiores, sed, quæcunqve religiosè minus, minusq; serviliter de Imperatoribus usurpata fuere, gravissimis pœnis à tyrannorum sævitiâ effreni vindicata fuisse. Tantitamq; enormis vitii veteres quoque Christicolæ peragebantur rei. Testis omni major exceptione est Tertullianus, qui has ideò effundit (f) querelas: *irreligiosi dicimur in Casares, neq; imagines eorum repropitiando, neq; Genios de- jerando, hostes populi nuncupamur.* Et alibi: *quia pro Imperatoribus sa- crificia non impendimus, majestatis rei convenimur.* Verùm scriptor ille gravissimus satis piè juxta & accuratè crimen illud cispellit & amolitur, Christianosq; excusat, quod DEO non injuriâ dicto potius audientes sint, quàm hominibus, è quorum censu non eximendi sint Cæsares. Cæte- rùm ostendit, his majores exhiberi à Christianis honores, quàm ipsis Diis, quorum vanitas in aprico sit & indubia cordatioribus. (h) Contra ea pro salute Imperatorum se Deum vocare æternum ait, (i) Deum verum & De- um vivum, & precari ipsis vitam prolixam, imperium securum, domum tu- tam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Casaris vota sunt. Tandem quoq; provocat ad ipsa Scripturarum oracula, dicens: (k) *qui ergò putas, nihil nos de salute Casarum curare, inspice Dei voces, literas nostras, quas neq; ipsi supprimimus, & pleriq; casus ad extraneos transferunt. Scitote ex illis, præceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis DEUM orare & persecu- toribus nostris bona precari: qui magis inimici & persecutores Christianorum, quàm de quorum majestate convenimur in crimen? sed etiam nominatim at- que manifestè, orate, inquit, pro regibus & pro principibus & potestatibus, ut omnia tranquilla sint.* Nolo hanc in rem afferre, quæ apud Dionysium A- lexandrinum, (l) & Arnobium (m) legi queunt; ne nimium longus sim. Tantum igitur abest, ut læsæ augustioris majestatis accusandi fuerint Chri- sto dediti, ut potius, pro sua in eam pietate, secundo à DEO, rerum omni- um auctore, loco Principes coluisse dicendi sint. Deinde & factionum studium iis impingebant quondam gentiles, & criminabantur, quod rebel- les essent & contumacius se gererent. Unde nefarie conspirationis homi- nes audiunt Galerio Maximo Proconsuli, in Actis passionis Cypriani; ho- mines

mines deplorata, illicite ac desperata factionis, & plebs profana conjurationis, Cæcilio apud Minucium Felicem, (n) plebs rebellis apud Prudentium in Romano. (o) Verùm, quàm injustè & hæc in Christianos innocentissimos conficta sint, præter alios (p) idem doctissimus Afer ostendit, cum non modò contestatur, (q) nihil omninò à Christianis tale committi, quale de illicitis factionibus timeri solet, sed & hæc esse negotia (r) Christiana factionis seriò jocatur: coimus in cœtum & aggregationem, ut ad DEUM quasi manu factâ preceationibus ambiamus orantes. Hæc vis DEO grata est. Coimus ad literarum divinarum commemorationem, si quid presentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Et hic ipse alibi (s) à perduellionis crimine Christianos liberat ex ea ratione, quod, cum vim potuissent repellere vi, & discessu suo illatam vindicare injuriam, nihil hujus unquam moliti sint. Sed & causas omnium malorum Christianis præscioribus adscribebant infideles, existimantes nefariè, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi eos esse causam. Si Tiberis ascendit in mœnia, (verba sunt Q. Septimii Florentis (t) si Nilus non adscendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianus ad Leonem acclamatur. Et Arnobius ait: (u) comperi nonnullos, qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt, insanire, bacchari & velut quiddam promptum ex oraculo dicere: postquam esse in mundo Christiana gens cœpit, terrarum orbem perisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum. Quo circa horum calumniosas dissolvere ac retundere criminationes studet idem, libris cum maximè prioribus; idq; pro captu suo: nam, isthæc cum scriberet, ex Ethnicismi tenebris ad veritatem recens pervenerat Christianam. Et quem in finem augustissimus Patrum libros de Civitate DEI conscripsit? Scilicet cum everisionem Romæ, per Gothos factam, Deorum falsorumq; cultores, quos usitato nomine paganos vocamus, in Christianam religionem referre conantes solito acerbius, & amarius DEUM verum blasphemare cœpissent; ipse exardescens Zelo domûs DEI, adversus eorum blasphemias & errores, libros illos scribere instituit. (x) In quibus inter alia ostendit, impietate gentilium cladem hanc commeruisse urbem, cultu verò Christianæ religionis factum, ut ne penitus interierit. (y) Neq; verò alia causa fuit, cur magni illius Augustini discipulus, Orosius suam concinnaret historiam, quàm ut calumniis hostium Christiani nominis faceret satis. (z) Lubens ac sciens prætereo alios non paucos, qui idem ex præscioribus Ecclesiæ seculis egerunt. Et enim nunc pergendum porrò est, & videndum, numquid, quâ vitam privatam, optimis quondam Christianis

nis objectum nequiter sit & exprobratum. Hic verò mox doctrinam ac
 eruditionem in iis desideratam, mox nescio quam crudelitatem cum aliis
 vitiis, mox & sorditiem ac miseriam eorum exagitatam fuisse, depræhendi-
 mus. Igitur quod *doctrinam* attinet, vitio ipsis data commemoratur pri-
 mò *infcitia* & quod non satis politi his artibus fuerint, quas qui tenent, e-
 ruditi appellantur. Hinc Christianos vocat Cæcilius apud Minucium in
 Octavio (aa) *studiorum rudes, literarum profanos & expertes*: & Lucia-
 nus, Deorum ille hominumq; irrisor atq; scurra (bb) *ἀνθρώπος ἰδιώτας*. Et
 sanè negari non potest, tales omninò & Petrum & Johannem cum plerisq;
 Apostolis non tam apparuisse, quàm revera fuisse: unde suâ in dicen-
 do libertate intrepidâ admirationem omnibus injiciebant, ὅτι ἀνθρώποι
ἀγράμματοι καὶ ἰδιώτας, homines illiterati & idiota forent. Christiani
 porrò subsequente tempore civilem prudentiam & quæ ad forum pertinet,
 insuper habebant, quòd à publicæ rei curâ semoti, in obscuro degerent &
 intra privatæ cancellos vitæ se continerent. Aversabantur etiam philoso-
 phiæ studium, cum sophistas ac philosophos plerumq; infensissimos habe-
 rent hostes. A quibus tamen veteres nonnulli & illi quidem eruditi Ec-
 clesiæ Doctores secessionem facientes, plus, quàm par est, Philosophiæ tri-
 buebant. Quod verò humaniorem attinet literaturam, in illam paullò
 inqviora fuisse veterum Christianorum judicia, certum est. Tragœdias
 enim & Comœdias, ac reliqua Poëtarum scripta toto detestabantur ani-
 mo, quod nec ad solidam eruditionem (ut quidem illi putabant) facerent,
 & lascivia ac turpitudine scaterent, fabulosæq; idolomania fenestras aperi-
 rent bipatentes. Quin imò, prout quisq; è Patribus aliisq; eruditis Chri-
 stianis vel addictus alicui studio, vel ejusdem rudis erat; ita illud aut con-
 plectebatur & permittebat laudibusq; vehebat, aut spernebat contrâ &
 prohibebat. (cc) Quod enim quis amat, id & laudat plerumqve atqve
 commendat aliis: quem ad modum contrâ reprehensionem ex facili incur-
 rit, quod minus gratum & acceptum est. Atqve sic perspicuè palam est,
 non omnibus omnem eruditionis partem quendam placuisse; inde au-
 tem consequi nullatenus potest, omnes omninò literarum expertes fuisse
 & exsortes Christianos, multò minus Ecclesiæ Doctores *ἐπίσημοι καὶ*
σχυροτόμοι, καὶ κναφεῖς ἀπαιδευτῆς τε καὶ ἀγροικοτάτης, laniones, sutores,
fulloes rudes & imperitos: quæ iniquissima Celsi apud Origenem (dd)
 calumnia est. Qui & hæc in Christianorum conventibus proclamari di-
 xit vel potius nugatus est: (ee) *μηδὲς προσίτω πεπαιδευμένῳ, μηδὲς*
σοφῶς, μηδὲς φρόνιμῳ, ἀλλ' εἴ τις ἀμαθὴς, εἴ τις ἀνόητος, εἴ τις νή-
πι

π.Ⓞ θαρρῶν ἠκέτω, hoc est, interprete Davide Hoeschelio: nemo accedat eruditus, nemo sapiens, nemo prudens, sed si quis est indoctus, insipiens, infans, fidenter veniat! Contra quod rectè Adamantius sic exclamat: (ff) imò accedat vel doctus vel sapiens, vel prudens, quicumq; vult: sed nihilominus accedat etiam indoctus & insipiens, & rudis & infans. Nam talibus, si accesserint, medicinam pollicetur Verbum DEI! Ex quò idem doctissimus Patrum præclare demonstrat cum exemplis, tum & dictis utriusque Fœderis, veram sapientiam, quæ in DEI agnitione, cum maxime consistit, tantumq; à mundana differt, ὅσον ἕρπυός ἐς ἀπὸ γαίης, potissimum à Christianis queri & amari, ita tamen ut nec spernant à se eruditionem reliquam, quæ non obstat cognitioni divinæ. Sed & stilum minus excultum & scabrum Christianis objiciebant οἱ ἕξωθεν. Enimvero eò dementiæ processerat cavillandi pruritus, ut nec scribendi genus, quò simpliciore utebantur fideles ac pii, intactum relinquerent, sed maledictis configerent, & ne fidem Christianorum scriptis haberent, persuadere mortalibus conniterentur. Sic enim inquit paganus quidam apud Arnobium: (gg) barbarismis, solæcismis obsitæ sunt res vestrae & vitiorum deformitate pollutæ. Et Celsus pessimus apud Origenem culpæ non veretur *Scripturarum in eloquendo tenuitatem*: (hh) & alibi (ii) earundem ridet ἰδιωτικῶς λόγος, & alio loco (kk) Christo in Scripturis loquenti sermonem objicit ἀγροικότερον. Pudet naniarum, quas alii occentant cum tædio legentium, & afferre nunc piget. (ll) Verum rectè puerilem hanc & angusti pectoris objectionem vocat Arnobius, quò post Tertullianum inter sacros Scriptores nemo doctior fuit, iudicio Lipsii. (mm) Etenim, ut prudenter idem addit: cum de rebus agitur, ab ostentatione submotis, quid dicatur, spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur, nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates. Et post paullo: dissoluti est pectoris in rebus seriis querere voluptatem, & cum tibi ratio cum malè se habentibus atq; aegris, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovere. Consentit lacteum os Firmiani, (nn) inquentis: hæc imprimis causa est, cur apud sapientes & doctos & Principes hujus seculi Scriptura sancta fide carseat, quod Prophete communi ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaq; ab iis, qui nihil audire vel legere nisi expolitum ac disertum volunt, nec quicquam inherere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono permulcet: illa verò, quæ sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria existimantur. Adeò nihil verum putant, nisi quod auditu suave est, nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem: nemo rem veritatis ponderat, sed ornatum. Verum delicatulis illorum

lorum auribus hoc inculcavit Octavius apud Minucium: *quò imperitior sermo, hoc illustrior est: quoniam non fucatur pompa facundie & gratia, sed, ut est, recti regulâ sustinetur.* Cæterum non adeò barbari fuerunt ex Patri-
 bus Latinis Tertullianus, Cyprianus, Minucius Felix, (oo) Lactantius & alii numero non pauci, quamvis cum dictione Ciceronis aliorumque, quos ætas Latinitatis aurea suppeditavit, paria non omninò fecerint: nec malè scripsisse censentur Græcè Justinus, Origenes, Chrysostomus cum reliquis, etsi Demosthenis facundiam, Thucydidis gravitatem, Aristotelis subtilitatem aut Platonis acumen fortassis non sint planè assecuti. Sufficit illos omnes de rebus divinis planè, simpliciter ac perspicuè expoluisse, non grandiloquentiâ mundanâ, sed Sancti Spiritus cœlesti phraseologiâ, quam nequaquam profanæ sapientiæ censuram subire par est. Et enim, ut Lactantii hæc mea faciam, (pp) *num DEUS & mentis & vocis & lingue artifex disertè loqui non potest? Immo verò summa providentia carere fucò voluit ea, quæ divina sunt: ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.* Et quotusquisque piè eruditorum sit tam scævæ mentis, ut, quia ad normam profanorum locuti non per omnia sunt Evangelistæ & Apostoli, hos barbarismorum ac solæcismorum reos peragere præsumat? Idiomatica est horum locutio, fatemur, sed num ideò barbara? num solæca aut inepta? Absit ita dicamus aut sentiamus; præcipuè cum barbarismos ac solæcismos vitii, ignorantiz, ruditatis, non artis aut rationis nomina esse, inter omnes cum veteres, tum & recentiores constet. (qq) Multa, si non omnia, ex veteris Testamenti Oceano hausit novum: unde non potest non sæpenumero abundare Ebraïsmis & Chaldaïsmis. Deinde cum novi Fœderis Scriptores vel Syram vel Chaldæo-Syram linguam haberent vernaculam (hos enim & Christum ipsum idiomate Græco locutos fuisse, nescio unde evinci queat (rr)) fieri non potuit, quin, quidquid Græcè scriberent, ex vulgari & quotidiano sermone subinde aliquid traheret idioticum. (ss) Quemadmodum ergò nemo temerè sit, qui versionem Bibliorum Germanicam, quam indefesso & singulari Thaumasiandri studio debemus, minus Germanicam dixerit, cum ad idiotismos utriusque Testamenti Scriptorum in multis accommodata sit: (hoc enim boni Interpretis esse, non diffitentur cordatiores (tt)) itaque non erat, cur barbarè dixisset Scriptores sacros, aut solæcum quid commisisse, hostes veritatis garrissent improbè. Itaque singularis planè est Scripturæ, & qui eam sequuntur, loquendi modus, qualem vix in profanorum scriptis reperias: quamquam & cum his paria illam quandoque facere, nemo exactius eruditorum dubitet. (uu) Quocirca facebant impii gentiles cum suis scommatibus, & in Græcos effutiant, qui hodiè in mediâ Græciâ vix Græci sunt, & quos vel cum
 Scri-

Scriptoribus factis, vel vetustis Patribus collatos, σολοικίζειν omnino & immane quantum βαρβαρίζειν, vero perquam simile est. Cæterum ἰδιῶται τῷ λόγῳ fuerint vetustissimi Christiani, quod vel de se θεορήτως Paulus fatetur; (xx) tantum tamen virtute Spiritus valuerunt & efficacia effecerunt divini verbi, ut de hostibus triumphum egerint, & multos ex illis ad suas partes pertraxerint & cœlestis compotes reddiderint felicitatis. Restarent alia penitus examinanda, quæ vitio data quondam, per summum nefas Christianæ genti legimus; sed chartæ impedit angustia; itaq; reliqua alii reservamus occasione. Sed nunc eorum facienda mentio est, quicras, si DEUS dederit, H. L. Q. C. de B. Luthero nostro, Elia mundi ultimo, verborum non nihil facere decreverunt. Nimiam, quæ ad Viri sanctissimi ortum & adolescentem ætatem pertinent, EHRENFRIED LEVIN à Naundorff/ EQ. MISN. exponet: de admirando Reformationis opere JOH. CHRISTOPHORUS WOLFF/GER. dissertabit: virtutes verò incomparabilis Viri JOH. GEORG. FRIDERICUS à Wolframbsdorff/EQ. VAR. dilaudabit, ac simul, quomodo vitæ catastrophæ addiderit, dicet. Tandem Martinalia carmine Epico JOH. LUDOVICUS à Naundorff/EQ. MISN. celebrabit. Igitur ut cum PLURIMUM VENERANDI DN. EPHORI, tum & ERUDITI ALII favere Adolescentum optimorum conatibus velint, & æquanimitate auscultandi, copiam crescendi dare, enixè rogitamus. Ulterò quidem & per se in optima quæq; incipitur indoles bona & studiis consecrata: sed, sicut equi non degeneres, ita & meliores animi majori id agunt promptitudine, plausu si juventur & favore. P. P. Geræ d. XXI. Nov. A. O. R. ∞ Ioc. LXXXII.

NOTULARUM EVOLUTIO.

(a) *np. 4. Kal. Febr. hoc ipso, qui nunc ad metam properat, anno.* (b) *in Nerone c. XVI.* (c) *Jan. Grut. in Thes. fol. 238. cit. Dn. D. Kortholto de orig. & nat. Christ. p. 2.* (d) *Act. XVII, 19. & 20.* (e) *in vita Constantini lib. II. c. LVII.* (f) *adv. nat. l. I. c. 17.* (g) *in Apolog. c. 10.* (h) *c. 28. & 29.* (i) *c. 30.* (k) *c. 31.* (l) *vid. Des. Herald. ad Arnob. animadv. p. 189.* (m) *lib. IV. advers. Gent. p. m. 152.* (n) *vid. laud. D. Kortholt. in Plin. epist. p. 127.* (o) *hymn. XIV. 62.* (p) *quos citat D. Kort. l. c. p. 149.* (q) *c. 38.* (r) *c. 39.* (s) *c. 37.* (t) *c. 39.* (u) *l. I. adv. gent. inis.* (x) *ut ipse loquitur l. 2. Retr. c. 43.* (y) *vid. l. I. de Civ. DEI c. 7.* (z) *vid. in primis l. 7. c. 37. (aa) p. 32. ed. Ouzel. (bb) in Peregrin. p. 338. cit. Elmenh. in Minuc. (cc) Vid. de his Desid. Herald. animadv. in Arnob. l. 3. p. 137. 138 (dd) lib. 3. (ee) l. c. (ff) p. 143. vers. Hœsch. (gg) lib. I. adv. Gent. p. 35. (hh) l. VI. (ii) l. III. (kk) l. VII. (ll) vid. Kortholt. de Orig. Christ. c. XI. toto & quod Ouzel. adducit ad Minuc. p. 32. 33. (mm) cent. I. ep. 42. (nn) l. V. Instit. c. 1. (oo) Vid. Lactant. l. c. (pp) l. VI. Instit. c. 21. (qq) Vid. Dn. D. Joh. Olearii Prof. Lips. diss. Philologico-Theol. de Stylo N. T. sect. polem. membro 1. p. 105. seqq. & B. Bœcleri diss. de eodem argumento in appendice. (rr) vid. Vogl. Introd. in not. script. p. 77. (ss) vid. D. Olear. l. c. p. 82. (tt) & Pet. Dan. Huetius l. I. de Interpret. p. m. 31. & 56. (uu) vid. iterum Olear. l. c. p. 57. & 60. (xx) 1. Cor. XII. 6.*



specie prodi
& novitatis
convitiis pr
um (b) nos
dam Inscrip
ineulcasse di
fuit religio
timus parite
τας ἀκοὰς
inculcare p
exosa passin
ὁ πρότερον
fallantur hi
Scripturæ,
integritati:
paganis ver
de repiissim
centis: neg
eam apud dis
ta sui Num
cum cæteris
mis Christia
dem quâ civ
genus. Q
magistratui



& pessimis tradu-
lerisq; puram Christi-
id verò aliàs jam di-
autem, quoruncunq;
it, cum curâ differui-
ορφον & multiplici se
os nos videmus. Nam
onem veram, & ideò
Sanè apud Sveloni-
ουα: & ut vetus quæ-
humano superstitionem
Areopago nuncupata
ipse Apostolorum ul-
us, ξενίζοντά τινα εἰς
na auribus ingerere &
n novitate nescio quâ
na, & quasi χθὲς καὶ
agitatur. Verùm ut
loxia, sed ad normam
& suæ denuò restituta
religio Christianorum,
existimabatur. Qua
ebium verba, (e) di-
vo hujus mundi fabri-
religionem cum debi-
oc ἐγκλημα transeat
essimi gentiles in opti-
merint, & partim qui-
ac privatum vivendi
tatis certæ membra &
è nostris crimina ob-
j. & a

